

# MISSALE COLONIENSE

ORDO ET CANON MISSÆ

Bund für Liturgie



und Gregorianif

Ex Missali Coloniensi anno Domini 1525 et veteribus libris liturgicis

Gerolitus Ammosaulicus  
edidit

Bonnæ ad Rhenum - MMI - Ædibus Bardorum

# MISSALE COLONIENSE

## Ordo et Canon Missæ

*Ante medium Altaris signando se ligno sanctæ Crucis:*

**I**n nómine Patris et Fílii et Spíritus Sancti. Amen.

*Celebrans:* Adjutórium nostrum in nómine Dómini.

*Ministri:* Qui fecit cœlum et terram.

*Celebrans:* Et introíbo ad altáre Dei.

*Ministri:* Ad Deum qui lætíficat juventútem meam.

*Celebrans:* Confitémini Dómino quóniam bonus.

*Ministri:* Quóniam in sácula misericórdia ejus.

*Celebrans:* Confíteor Deo cœli et beátæ Mariæ Vírgini et ómnibus Sanctis Dei et vobis, quia peccávi nimis in vita mea contra legem Dei mei cogitatíone, locutíone, concénsu, visu, verbo et ópere, mea culpa, mea culpa, mea máxima culpa. Ideo precor gloriósam vírginem Mariám et omnes Sanctos Dei, et vos, oráre pro me peccatóre.

*Ministri:* Misereátur tui om-

nípotens Deus et dimíssis ómnibus peccátis tuis perdúcat te Jesus Christus sine mácula cum gáudio in vitam ætérnam.

*Celebrans:* Amen.

*Ministri:* : Confíteor Deo cœli et beátæ Mariæ Vírgini et ómnibus Sanctis Dei et te, quia peccávi nimis in vita mea contra legem Dei mei cogitatíone, locutíone, concénsu, visu, verbo et ópere, mea culpa, mea culpa, mea máxima culpa. Ideo precor gloriósam vírginem Mariám et omnes Sanctos Dei, et te, oráre pro me peccatóre.

*Celebrans:* Misereátur vestri omnípotens Deus et dimíssis ómnibus peccátis vestris perdúcat vos Jesus Christus sine mácula cum gáudio in vitam ætérnam.

*Ministri:* Amen.

*Celebrans:* Exaudi quæsumus Dómine súpplícum preces et confiténtium tibi parce peccátis, ut páriter nobis indulgéntiam tríbuas benígnus et pacem. Per Dóminum.

*Ministri:* Amen.

*Accendens ad Altare:* Aufer a nobis, quæsumus, Dómine, cunctas iniquitátes nostras: ut ad sancta sanctórum tuórum puris méntibus introíre mereámur. Per Dóminum.

*Osculando Altare:* Da mihi, Dómine, sensum rectum et vocem puram, ut pláceant tibi verba mea: atque cunctis audiéntibus ea, propter nomen sanctum tuum proficiant in vitam ætérnam.

*Osculando Crucifixum:* Tuam Crucem adorámus, Dómine: et tuam sanctam recóllimus passiónem. miserére nostri, qui passus est pro nobis.

*Osculando Evangelium:* Pax Christi et Ecclésiæ quam nobis per sanctum Evangélium trádidit: confirmet et consérvet corda et córpora nostra in vitam ætérnam. Amen.

*Ad Introitum Celebrans:* Adjutórium nostrum in nómine Dómine.

*Ministri:* Qui fecit cœlum et terram.

*Celebrans:* Sit nomen Dómini benedíctum.

*Ministri:* Nunc et usque in sáculum.

*Introitus legatur, deinde*

Kýrie eléison. Kýrie eléison.  
Kýrie eléison.

Christe eléison. Christe eléison. Christe eléison.

Kýrie eléison. Kýrie eléison.  
Kýrie eléison.

*Quando non de B.M.V.*

**G**lória in excélsis Deo. Et in terra pax homínibus bonæ voluntátis. Laudámus te. Benedícimus te. Adoramus te. Glorificámus te. Gratias agimus tibi propter magnam gloriam tuam. Dómine Deus, Rex cœlestis, Deus Pater omnípotens. Dómine Fili unigénite, Jesu Christe. Dómine Deus, Agnus Dei, Fílius Patris. Qui tollis peccáta mundi, miserére nobis. Qui tollis peccáta mundi, suscipe deprecationem nostram. Qui sedes ad dexteram Patris, miserére nobis. Quóniam tu solus Sanctus. Tu solus Dóminus. Tu solus Altíssimus, Jesu Christe. Cum Sancto Spíritu, in glória Dei Patris. Amen.

*Quando de B.M.V.*

**G**lória in excélsis Deo. Et in terra pax homínibus bonæ voluntátis. Laudámus te. Benedícimus te. Adoramus te. Glorificámus te. Gratias agimus tibi propter magnam gloriam tuam. Dómine Deus,

Rex cœlestis, Deus Pater omnipotens. Dómine Fili unigénite, Jesu Christe. Spíritus et alme orphanórum Paráclite. Dómine Deus, Agnus Dei, Fílius Patris. Primogénitus Mariæ Virginis Matris. Qui tollis peccáta mundi, miserere nobis. Qui tollis peccáta mundi, suscipe deprecationem nostram, ad Mariæ glóriam. Qui sedes ad dexteram Patris, miserere nobis. Quóniam tu solus Sanctus, Mariam sanctificans. Tu solus Dóminus, Mariam gubernans. Tu solus Altíssimus, Mariam córonans, Jesu Christe. Cum Sancto Spíritu, in glória Dei Patris. Amen.

✠ Dóminus vobiscum. ☩ Et cum Spíritu tuo.

Oremus. *Collecta, ad Collectam respondetur* Amen. *Deinde Lectio, Graduale, Alleluja, Sequentia, Tractus. Preparando calicem dicat:* In nómine Patris et Fílii et Spíritus Sancti. Sanguis exívit de látere Dómini nostri Jesu Christi.

*Intendo aquam dicit:* Et aqua in remissione peccatórum. Fiat hæc commíxtio vini et aquæ páriter in nómine Patris et Fílii et Spíritus Sancti. Amen.

*Deinde:* Deus, qui humana substantiæ dignitatem mirabiliter condidisti, et mirabiliter reformasti: da nobis per hujus aquæ et vini mysterium, ejus divinitatis esse consortes, qui humanitatis nostræ fieri dignatus est particeps, Jesus Christus, Dóminus noster: Qui tecum vivit et regnat in unitate Spíritus Sancti Deus: per ómnia sæcula sæculórum. Amen.

*Ante Evangelium:* Jube, Dómine, benedicere. Dóminus sit in corde meo et in lábiis meis: ut digne et competenter annúntiem Evangelium pacis. In nómine Patris et Fílii et Spíritus Sancti. Amen.

✠ Dóminus vobiscum. ☩ Et cum Spíritu tuo.

✠ Sequéntia sancti Evangelii secúndum *hic nominatur nomen Evangelistæ cujus Evangelium pronuntiandum.* ☩ Glória tibi Dómini.

*Post Evangelium:* Per hæc sancta evangelica dicta deleántur univérsa crímina nostra et delicta. Amen.

*Deinde si dicendum:*

**C**redo in unum Deum. Patrem omnipoténtem, factorem cœli et terræ, visibílium ómnium, et invisibí-

lium Et in unum Dóminum Jesum Christum, Fílium Dei unigenítum. Et ex Patre natum ante ómnia sácula. Deum de Deo, lumen de lumine, Deum verum de Deo vero. Génitum, non factum, consubstantiálem Patri: per quem ómnia facta sunt. Qui propter nos hómines, et propter nostram salútem descendit de coelis. Et incarnatus est de Spíritu Sancto ex Maria Virgine: Et homo factus est. Crucifixus étiam pro nobis: sub Póntio Pilato pássus, et sepultus est. Et resurrexit tertia die, secúndum Scriptúras. Et ascendit in cœlum: sedet ad dexteram Patris: Et íterum ventúrus est cum glória iudicáre vivos et mórtuos: cujus regni non erit finis. Et in Spíritum Sanctum, Dóminum, et vivificántem: qui ex Patre, Filióque procedit. Qui cum Patre et Fílio simul adoratur, et conglorificátur: qui locútus est per Prophétas. Et unam sanctam cathólicam et apostólicam Ecclésiám. Confíteor unum baptísma in remissionem peccatórum. Et exspécto resurrectionem mortuórum. Et vitam ventúri sá-

culi. Amen.

*Deinde clara voce:*

✠ Dóminus vobíscum. **R** Et cum Spíritu tuo.

Oremus. *Sequitur Offertorium.*

*Deinde præparatio accessoria ad canonem:* Lavábo inter innocéntes manus meas: et circúmdabo altáre tuum, Dómine.

*Deinde fac signum Crucis super cálicem:* In nómine Patris ✠ et Fílii et Spíritus Sancti. Quid retríbua[m] Dómino pro ómnibus quæ retríbuit mihi. Cálicem salutáris accípia[m] et nomen Dómini invocábo.

*Tenens calicem in medio Altaris dic:* In Spíritu humilitátis et ánimo contríto suscipiámur, Dómine, a te: sic fiat sacrificium hódie et pláceat tibi, Dómine Deus.

*Accipe Patenam:* Acceptábile fiat omnipoténti Deo sacrificium istud in odórem suavitátis.

*Benedic utrumque:* Veni, invisibilis sanctificátor, omnípotens ætérne Deus: bénedic ✠ et sanctífica hoc sacrificium nómini tuo præparátum. Per Christum Dóminum nostrum.

*Inclina et dic:* Súscipe sancta Trínitas hanc oblatiónem, quam tibi offérimus in me-

móriam passiónis, resurrecti-  
 ónis, ascensiónis Dómini no-  
 stri Jesu Christi: et in honó-  
 rem sanctíssimæ Dei Geni-  
 trícis Vírginis Mariæ: et sanc-  
 tórum quórum hódie festívi-  
 tas celebrátur: et quórum hic  
 nómina et reliquæ habéntur:  
 nec non et ómnium sanc-  
 tórum tuórum qui tibi pla-  
 cuérunt ab inítio mundi. Ut  
 proficiat illis ad honórem:  
 nobis autem et ómnibus fidé-  
 libus vivis et defúntis ad sa-  
 lútem et ad remissionem óm-  
 nium peccatórum, et ut om-  
 nes pro nobis dignéntur in-  
 tercédere in cœlis, quórum  
 memóriam ágimus in terris.  
 Per eúndem Christum Dómi-  
 num nostrum.

*Verte te ad populum:* Oráte pro  
 me peccatóre, fratres et soró-  
 res: ut meum páriter et ve-  
 strum sacrificium accéptum  
 sit ómipotentí Deo.

✠ Dómine, exáudi oratió-  
 nem meam. **R.** Et clamor me-  
 us ad te véniat.

Oremus. *Deinde legatur Secreta,  
 cujus finis est initium Præfationis.*

✠ Per ómnia sæcula sæculó-  
 rum. **R.** Amen.

✠ Dóminus vobíscum. **R.** Et  
 cum Spíritu tuo.

✠ Sursum corda. **R.** Habé-  
 mus ad Dóminum.

✠ Grátias agámus Dómino  
 Deo nostro. **R.** Dignum et ju-  
 stum est.

Vere dignum et justum est,  
 æquum et salutare *etc. etc.*

Sanctus, Sanctus, Sanctus,  
 Dominus Deus Sabaoth. Ple-  
 ni sunt coeli et terra gloria  
 tua. Hosanna in excelsis. Be-  
 nedictus qui venit in nomine  
 Domini. Hosanna in excelsis.

*Ad ablutionem digitorum hic nihil  
 est dicendum. Sed statim digitis lotis et  
 extensis signat se signo sanctæ Crucis.  
 Deinde osculatur altare super corporale,  
 postea crucem sub crucifixo. Deinde  
 aspiciendo devote cœlum ac manus  
 conjugendo inclinatur se, dicens:*



**E** ígitur, clementíssi-  
 me Pater, per Jesum  
 Christum, Filium tu-  
 um, Dominum nostrum, sup-  
 plices rogamus ac petimus, *hic  
 erigatur se dicendo* uti accepta ha-  
 beas, et benedicas haec ✠ do-  
 na, haec ✠ munera, haec ✠  
 sancta sacrificia illibata, in  
 primis quae tibi offerimus  
 pro Ecclesia tua sancta Ca-  
 tholica: quam pacificare, cu-  
 stodire, adunare, et regere di-  
 gneris toto orbe terrarum:  
 una cum famulo tuo Papa  
 nostro **N.**, et Antistite nostro

N., et Rege nostro N., et omnibus orthodoxis, atque catholicae et apostolicae fidei cultoribus.

*deinde*

Memento, Domine, famularum famularumque tuarum N. *hic recitet nomina vivorum eorum maxime pro quibus orare tenetur* et omnium circumadstantium, quorum tibi fides cognita est, et nota devotio, pro quibus tibi offerimus, vel qui tibi offerunt hoc sacrificium laudis, pro se suisque omnibus: pro redemptione animarum suarum, pro spe salutis, et incolumitatis suae: tibi que reddunt vota sua aeterno Deo, vivo et vero.

*Deinde.*

Communicantes, et memoriam venerantes, in primis gloriosae semper Virginis Mariae, Genitricis Dei et Domini nostri Jesu Christi: sed et beatorum Apostolorum ac Martyrum tuorum, Petri et Pauli, Andreae, Jacobi, Joannis, Thomae, Jacobi, Philippi, Bartholomaei, Matthaei, Simonis, et Thaddaei: Lini, Cleti, Clementis, Xysti, Cornelii, Cypriani, Laurentii, Chrysogoni, Joannis et Pauli,

Cosmae et Damiani, et omnium Sanctorum tuorum; quorum meritis, precibusque concedas, ut in omnibus protectionis tuae muniamur auxilio. Per eundem Christum Dominum nostrum.

*Hic inclinet se Sacerdos dicendo.*

Hanc igitur oblationem servitutis nostrae, sed et cunctae familiae tuae quaesumus, Domine, ut placatus accipias: disesque nostros in tua pace disponas, atque ab aeterna damnatione nos eripi, et in electorum tuorum jubeas grege numerari. Per Christum Dominum nostrum.

*Hic erigat se Sacerdos dicendo.*

Quam oblationem tu, Deus, in omnibus, quæsumus, bene ✠ dictam, adscrip ✠ tam, ra ✠ tam, rationabilem, acceptabilemque facere digneris: ut nobis Cor ✠ pus et San ✠ guis fiat dilectissimi Filii tui Domini nostri Jesu Christi.

*Hic purget digitos et accipiat hostiam dicendo.*

Qui pridie quam pateretur, accepit panem in sanctas ac venerabiles manus suas, et elevatis oculis in coelum ad te Deum Patrem suum omnipotentem, tibi gratias agens, bene ✠ dixit, fregit, diditque di-

scipulis suis, dicens: Accipite,  
et manducate ex hoc omnes:

**HOC EST ENIM CORPUS  
MEUM.**

*Elevet corpus Domini: quo reposito  
accipiat calicem dicendo.*

Simili modo postquam co-  
enatum est, accipiens et hunc  
praeclarum Calicem in sanc-  
tas ac venerabiles manus suas:  
item tibi gratias agens, be-  
ne ✠ dixit, deditque discipulis  
suis, dicens: Accepit, et bibi-  
te ex eo omnes:

**HIC EST ENIM CALIX  
SANGUINIS MEI, NOVI  
ET AETERNI TESTA-  
MENTI: MYSTERIUM FI-  
DEI, QUI PRO VOBIS ET  
PRO MULTIS EFFUNDE-  
TUR IN REMISSIONEM  
PECCATORUM.**

*Hic elevet calicem dicendo.*

Haec quotiescumque fecerit-  
tis, in mei memoriam facie-  
tis.

*Extendat brachia in modum crucis.*

Unde et memores, Domine,  
nos servi tui, sed et plebs tua  
sancta, ejusdem Christi Filii  
tui Domini nostri, tam bea-  
tae Passionis, nec non et ab

inferis Resurrectionis, sed et  
in coelos gloriosae Ascensio-  
nis: offerimus praeclarae ma-  
jestati tuae de tuis donis ac  
datis, hostiam ✠ puram, ho-  
stiam ✠ sanctam, hostiam ✠  
immaculatam, Panem ✠ san-  
ctum vitae aeternae, et cali-  
cem ✠ salutis perpetuae.

*Ponat manus junctas super utru-  
mq̄ue.*

Supra quae propitio ac se-  
reno vultu respicere digneris,  
et accepta habere, sicuti ac-  
cepta habere dignatus es mu-  
nera pueri tui justi Abel, et  
sacrificium patriarchae nostri  
Abrahamae, et quod tibi obtulit  
summus sacerdos tuus Mel-  
chisedech, sanctum sacrifi-  
cium, immaculatam hostiam.

*Cancellatis manibus se inclinet.*

Supplices te rogamus, om-  
nipotens Deus, jube haec per-  
ferri per manus sancti Angeli  
tui in sublime altare tuum, in  
conspectu divinae majestatis  
tuae: ut quotquot ex hac alta-  
ris participatione, sacrosanc-  
tum Filii tui Cor✠pus, et San✠  
guinem sumpserimus,  
*hic signet seipsum signo crucis dicendo:*  
omni benedi✠ctione coelesti  
et gratia repleamur. Per eum-  
dem Christum Dominum  
nostrum. Amen.



*Deinde.*

Memento etiam, Domine, famulorum famularumque tuarum qui nos praecesserunt cum signo fidei, et dormiunt in somno pacis **N**.

*Hic recitet nomina defunctorum.*

Ipsis, Domine, et omnibus in Christo quiescentibus, locum refrigerii, lucis et pacis, ut indulgeas, deprecamur. Per eundem Christum Dominum nostrum.

*Tundat pectus et exaltet vocem.*

Nobis quoque peccatoribus famulis tuis, de multitudine miserationum tuarum sperantibus, partem aliquam, et societatem donare digneris, cum tuis sanctis Apostolis et Martyribus: cum Joanne, Stephano, Matthia, Barnaba, Ignatio, Alexandro, Marcellino, Petro, Felicitate, Perpetua, Agatha, Lucia, Agnete, Caecilia, Anastasia, et omnibus Sanctis tuis: intra quorum nos consortium, non aestimator meriti sed veniae, quaesumus, largitor admitte. Per Christum Dominum nostrum.

Per quem haec omnia, Domine, semper bona creas, *Hic signet utrumque.* sancti✠ficas, vi-

vi✠ficas, bene✠dicens, et praestas nobis.

*Hic faciat quattuor cruces super calicem cum hostia: et quintam crucem in labra calicis dicendo.*

Per ip✠sum, et cum ip✠so, et in ip✠so, est tibi Deo Patri ✠ omnipotenti, in unitate Spiritus ✠ Sancti, omnis honor et gloria. *Hic tangat calicem cum hostia: et mutet vocem.* Per omnia saecula saeculorum.

✠ Amen.

Oremus. Praeceptis salutaribus moniti, et divina institutione formati, audemus dicere:

Pater noster, qui es in caelis: sanctificetur nomen tuum: adveniat regnum tuum: fiat voluntas tua, sicut in caelo, et in terra. Panem nostrum quotidianum da nobis hodie, et dimitte nobis debita nostra, sicut et nos dimittimus debitoribus nostris. Et ne nos inducas in tentationem.

✠ Sed libera nos a malo. Amen.

*Hic elevet patenam sub silentio dicens.*

Libera nos, quaesumus, Domine, ab omnibus malis praeteritis, praesentibus, et futu-

ris: et intercedente beata et gloriosa semper Virgine Dei Genitrice Maria, cum beatis Apostolis tuis Petro et Paulo, atque Andrea, et omnibus Sanctis, da propitius pacem in diebus nostris: *Hic osculetur patenam faciendum cruxem* ut ope miseri ✠ cordiae tuae adjuti, et a peccato simus semper liberi, *signet secum patenam in fronte* et ab omni perturbatione securi. *Hic dividat hostiam per medium.* Per eundem Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum, *dividat alteram partem* qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus Sancti Deus. *Levet calicem dicens* Per omnia sæcula sæculorum. Amen.

*Hic faciat cruxem cum tertia parte hostiæ super calicem*

Pax ✠ Domini sit ✠ semper vobis ✠ cum. ℞ Et cum spiritu tuo.

*Hic elevet patenam sup silentio dicens.*

Fiat haec commixtio et consecratio Corporis et Sanguinis Domini nostri Jesu Christi ómnibus nobis suméntibus salus mentis et córporis in vitam ætérnam. Amen.

*Deinde*

Agnus Dei, qui tollis pecca-

ta mundi: miserere nobis.

Agnus Dei, qui tollis peccata mundi: miserere nobis.

Agnus Dei, qui tollis peccata mundi: dona nobis pacem.

Domine Jesu Christe, qui dixisti Apostolis tuis: Pacem relinquo vobis, pacem meam do vobis: ne respicias peccata mea, sed fidem Ecclesiae tuæ: *hic osculetur Altare* eamque secundum voluntatem tuam, pacificare *deinde Librum* et coadunare digneris: qui vivis et regnas Deus, per omnia sæcula sæculorum. Amen.

*Deinde osculando corporale et det pacis dicens.*

Pax tibi et Ecclésiæ Dei abúndet in córdibus nostris.

*Deinde osculato pacis osculo dicat super Ministrum* Pax tecum. *Deinde* Habéte vínculom pacis et caritátis: ut apti sitis sacrosántis mystériis Christi. Amen.

*Antequam comunicet, inclinat dicens.*

Domine Jesu Christe, Fili Dei vivi, qui ex voluntate Patris, cooperante Spiritu Sancto, per mortem tuam mundum vivificasti: libera me per hoc sacrosanctum Corpus et Sanguinem tuum ab omnibus iniquitatibus meis, et universis malis: et fac me tuis

semper inhaerere mandatis, et a te numquam separari permittas. Qui cum eodem Deo Patre et Spiritu Sancto vivis et regnas Deus in sæcula sæculorum.

*Deinde.*

Perceptio Corporis tui, Domine Jesu Christe, quod ego indignus sumere praesumo, non mihi proveniat in iudicium et condemnationem: sed pro tua pietate prosit mihi ad tutamentum mentis et corporis, et ad medelam percipiendam: qui vivis et regnas cum Deo Patre in unitate Spiritus Sancti Deus, per omnia sæcula sæculorum.

*Hic accipit corpus in manibus dicat.*

Panem coelestem accipiam, et nomen Domini invocabo.

*Hic ter tundat pectus suum.*

Domine, non sum dignus, ut intres sub tectum meum: sed tantum dic verbo, et sanabitur anima mea.

*Sumat copus et dicat.*

Corpus Domini nostri Jesu Christi custodiat animam meam in vitam aeternam. Amen.

*Inclinatus dicat.*

Quid retribuam Domino pro omnibus quae retribuit mihi? *Hic accipit in manus calicem*

*dicens* Calicem salutaris accipiam, et nomen Domini invocabo. Laudans ✠ invocabo Dominum, et ab inimicis meis salvus ero.

*Hic sumat Sanguinem dicens.*

Sanguis Domini nostri Jesu Christi custodiat animam meam in vitam æternam. Amen.

*Post perceptionem.*

Corpus tuum, Dómine, quod sumpsi, et Sanguis, quem potávi, adhæreat visceribus meis: et præsta, ut in me non remáneat scélerum mácula, quem pura et sancta refecerunt Sacraménta: Qui vivis et regnas in sæcula sæculórum.

Quod ore sumpsimus, Domine, pura mente capiamus: et de munere temporali fiat nobis remedium sempiternum. Per Christum Dóminum nostrum. Amen.

*Deinde Communio et postea.*

✠ Dóminus vobíscum. ℞ Et cum Spírítu tuo.

Oremus. *sequitur Complenda quam finitam respondetur* Amen. *deinde benedicens populum.*

✠ Dóminus vobíscum. ℞ Et cum Spírítu tuo.

*Quabdo Gloria dicatur* Ite Missa est, *quando non dicitur* Benedicámus Dómino. ℞ Deo grátias.

Benedícat vos omnípotens Deus, Pater, et Fílius, ✠ et Spíritus Sanctus. ℞ Amen.

*Finita Missa inclinet se dicens.*

Placeat tibi, sancta Trinitas, obsequium servitutis meae: et praesta, ut sacrificium quod oculis tuae majestatis indignus obtuli, tibi sit acceptabile, mihi que, et omnibus, pro quibus illud obtuli, sit te miserante propitiabile. Per Christum Dóminum nostrum. Amen.

*Osculando Altare dicit:*

Méritis et intercessiónibus istórum et ómnium Sanctórum suórum miseríatur nostri omnípotens Deus per Christum Dóminum nostrum. Amen.

*deinde in cornu Evangelii*

✠ Dóminus vobíscum. ℞ Et cum Spíritu tuo.

*Prosequitur.*

✠ Inítium sancti Evangelii secundum Joánnem.

**I**n principio erat Verbum et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum. Hoc erat in principio apud Deum. Omnia per ipsum facta sunt, et sine ipso factum est nihil

quod factum est; in ipso vita erat, et vita erat lux hominum; et lux in tenebris lucet, et tenebrae eam non comprehenderunt. Fuit homo missus a Deo cui nomen erat Joannes. Hic venit in testimonium, ut testimonium perhiberet de lumine, ut omnes crederent per illum. Non erat ille lux, sed ut testimonium perhiberet de lumine. Erat lux vera quae illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. In mundo erat, et mundus per ipsum factus est et mundus eum non cognovit. In propria venit, et sui eum non receperunt. Quotquot autem receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri; his qui credunt in nomine eius, qui non ex sanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, sed ex Deo nati sunt. **Et verbum caro factum est** et habitavit in nobis; et vidimus gloriam eius gloriam quasi unigenti a Patre, plenum gratiae et veritatis.